

potentiæ divinæ objectum facere, cum potentiæ objecta *realia* esse debeant.

§. 7. Qui autem omnipotentiam divinam impugnant, objiciunt, *quod nil possit fieri ex nihilo*. At vero falsissimum hoc est, cum non implicet rem produci ex nihilo, inprimis si vox *nil* consideretur, non ut *causa* vel *materia* entis producendi, sed ut *status* productionem entis *precedens*. Possè itaque Deum ex nihilo res producere, adstruunt sequentes rationes, (1) *quia, ut supra jam ostendimus, impossibile est, materiam a se ipsa esse, ergo erit a Deo, non autem ex ejus essentia, quæ est immaterialis, proindeque ex nihilo,* (2) *quia nos homines habemus vim novas cogitationes faciendi, nobisque attrahendi habitus morales, intellectuales & corporales: dum itaque nos ceu entia imperfecta novos habitus & modos possumus producere, probabile est, ens summe perfectum posse producere substantias.*

CAP. VII.

DE VNITATE DEL

§. I.

**V**ulgus gentilium plures Deos, quinimo infinitum ferme numerum credidit, quorum maxima pars inter homines vixit, qui post mortem a cœca plebe adorati sunt, quod sibi persuaserint, *mentes post mortem potuisse locum inter Deos obtinere*. Hinc in communi sermone gentilium sapientiorum vox *Dii* iis nil aliud significavit, quam entia humana naturæ excellentioris; facile enim intelligebant, esse tantum *unum* sum-

E 2

mum